Epistula beati Pauli apostoli ad Timotheum secunda

1 2 3 4

1

1:1
Paulus apostolus Christi Iesu per voluntatem Dei secundum promissionem vitae quae est in Christo Iesu
1:2
Timotheo carissimo filio gratia misericordia pax a Deo Patre et Christo Iesu Domino nostro
1:3
gratias ago Deo cui servio a progenitoribus in conscientia pura quam sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die
1:4
desiderans te videre memor lacrimarum tuarum ut gaudio implear
1:5
recordationem accipiens eius fidei quae est in te non ficta quae et habitavit primum in avia tua Loide et matre tua Eunice certus sum autem quod et in te
1:6
propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei quae est in te per inpositionem manuum mearum
1:7
non enim dedit nobis Deus spiritum timoris sed virtutis et dilectionis et sobrietatis
1:8
noli itaque erubescere testimonium Domini nostri neque me vinctum eius sed conlabora evangelio secundum virtutem Dei
1:9
qui nos liberavit et vocavit vocatione sancta non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia
1:10
manifestata est autem nunc per inluminationem salvatoris nostri Iesu Christi qui destruxit quidem mortem inluminavit autem vitam et incorruptionem per evangelium
1:11
in quo positus sum ego praedicator et apostolus et magister gentium
1:12
ob quam causam etiam haec patior sed non confundor scio enim cui credidi et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem
1:13
formam habe sanorum verborum quae a me audisti in fide et dilectione in Christo Iesu
1:14
bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis
1:15

scis hoc quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt ex quibus est Phygelus et Hermogenes
1:16
det misericordiam Dominus Onesifori domui quia saepe me refrigeravit et catenam meam non erubuit
1:17
sed cum Romam venisset sollicite me quaesivit et invenit
1:18
det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die et quanta Ephesi ministravit melius tu nosti.

2

2:1
tu ergo fili mi confortare in gratia quae est in Christo Iesu
2:2
et quae audisti a me per multos testes haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere
2:3
labora sicut bonus miles Christi Iesu
2:4
nemo militans inplicat se negotiis saecularibus ut ei placeat cui se probavit
2:5
nam et qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit
2:6
laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere
2:7
intellege quae dico dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum
2:8
memor esto Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum evangelium meum
2:9
in quo laboro usque ad vincula quasi male operans sed verbum Dei non est alligatum
2:10
ideo omnia sustineo propter electos ut et ipsi salutem consequantur quae est in Christo Iesu cum gloria caelesti
2:11
fidelis sermo nam si conmortui sumus et convivemus
2:12
si sustinemus et conregnabimus si negabimus et ille negabit nos
2:13
si non credimus ille fidelis manet negare se ipsum non potest
2:14
haec commone testificans coram Domino noli verbis contendere in nihil utile ad subversionem audientium

2:15
sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem recte tractantem verbum veritatis
2:16
profana autem inaniloquia devita multum enim proficient ad impietatem
2:17
et sermo eorum ut cancer serpit ex quibus est Hymeneus et Philetus
2:18
qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem iam factam et subvertunt quorundam fidem
2:19
sed firmum fundamentum Dei stetit habens signaculum hoc cognovit Dominus qui sunt eius et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini
2:20
in magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea sed et lignea et fictilia et quaedam quidem in honorem quaedam autem in contumeliam
2:21
si quis ergo emundaverit se ab istis erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino ad omne opus bonum paratum
2:22
iuvenilia autem desideria fuge sectare vero iustitiam fidem caritatem pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro
2:23
stultas autem et sine disciplina quaestiones devita sciens quia generant lites
2:24
servum autem Domini non oportet litigare sed mansuetum esse ad omnes docibilem patientem
2:25
cum modestia corripientem eos qui resistunt nequando det illis Deus paenitentiam ad cognoscendam veritatem
2:26
et resipiscant a diaboli laqueis a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.

3

3:1
hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa
3:2
et erunt homines se ipsos amantes cupidi elati superbi blasphemi parentibus inoboedientes ingrati scelesti
3:3
sine affectione sine pace criminatores incontinentes inmites sine benignitate
3:4
proditores protervi tumidi voluptatium amatores magis quam Dei
3:5

habentes speciem quidem pietatis virtutem autem eius abnegantes et hos devita
3:6
ex his enim sunt qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis quae ducuntur variis desideriis
3:7
semper discentes et numquam ad scientiam veritatis pervenientes
3:8
quemadmodum autem Iannes et Mambres restiterunt Mosi ita et hii resistunt veritati homines corrupti mente reprobi circa fidem
3:9
sed ultra non proficient insipientia enim eorum manifesta erit omnibus sicut et illorum fuit
3:10
tu autem adsecutus es meam doctrinam institutionem propositum fidem longanimitatem dilectionem patientiam
3:11
persecutiones passiones qualia mihi facta sunt Antiochiae Iconii Lystris quales persecutiones sustinui et ex omnibus me eripuit Dominus
3:12
et omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu persecutionem patientur
3:13
mali autem homines et seductores proficient in peius errantes et in errorem mittentes
3:14
tu vero permane in his quae didicisti et credita sunt tibi sciens a quo didiceris
3:15
et quia ab infantia sacras litteras nosti quae te possint instruere ad salutem per fidem quae est in Christo Iesu
3:16
omnis scriptura divinitus inspirata et utilis ad docendum ad arguendum ad corrigendum ad erudiendum in iustitia
3:17
ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

4

4:1
testificor coram Deo et Christo Iesu qui iudicaturus est vivos ac mortuos et adventum ipsius et regnum eius
4:2
praedica verbum insta oportune inportune argue obsecra increpa in omni patientia et doctrina
4:3
erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus
4:4
et a veritate quidem auditum avertent ad fabulas autem convertentur

4:5
tu vero vigila in omnibus labora opus fac evangelistae ministerium tuum imple
4:6
ego enim iam delibor et tempus meae resolutionis instat
4:7
bonum certamen certavi cursum consummavi fidem servavi
4:8
in reliquo reposita est mihi iustitiae corona quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex non solum autem mihi sed et his qui diligunt adventum eius
4:9
festina venire ad me cito
4:10
Demas enim me dereliquit diligens hoc saeculum et abiit Thessalonicam Crescens in Galliam Titus in Dalmatiam
4:11
Lucas est mecum solus Marcum adsume et adduc tecum est enim mihi utilis in ministerium
4:12
Tychicum autem misi Ephesum
4:13
paenulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens adfers et libros maxime autem membranas
4:14
Alexander aerarius multa mala mihi ostendit reddat ei Dominus secundum opera eius
4:15
quem et tu devita valde enim restitit verbis nostris
4:16
in prima mea defensione nemo mihi adfuit sed omnes me dereliquerunt non illis reputetur
4:17
Dominus autem mihi adstitit et confortavit me ut per me praedicatio impleatur et audiant omnes gentes et liberatus sum de ore leonis
4:18
liberabit me Dominus ab omni opere malo et salvum faciet in regnum suum caeleste cui gloria in saecula saeculorum amen
4:19
saluta Priscam et Aquilam et Onesifori domum
4:20
Erastus remansit Corinthi Trophimum autem reliqui infirmum Mileti
4:21
festina ante hiemem venire salutat te Eubulus et Pudens et Linus et Claudia et fratres omnes
4:22
Dominus Iesus cum spiritu tuo gratia nobiscum amen.